



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XXXIX. De Privilegiis Clericorum & Religiosorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

prescribi contra jus & privilegium alterius. Quantum verò temporis ad prescriptionem requiratur, dicemus in Tract. de Jur. & Justitia.

20. Inferes tertio. Usu contrario labefactari privilegium habens tractum successivum solummodo quoad illum actum intra tempus prescriptionis: e. g. habens privilegium non solvendi decimas, si solvat, officit solum privilegio quoad illum actum & vicem, & verè transfert dominium illarum, quas proin sibi vendicare amplius nequit: & constat ex *l. nlr. c. de Constitut. Princip.* ubi dicitur, quòd habens privilegium non solvendi tributa, si permittat se inscribi in libro tallium gravaminum, & intra decem dies non appellet, non obinde amisit privilegium, sed talem permissionem ad summum valere ad unum actum privilegio contrarium de tributo illà vice solvendo.

Quæres secundò. Quomodo per abusum amittatur privilegium?

21. Notandum, privilegii abusum tripliciter fieri posse: primò, illud nimium extendendo ultra id, quod privilegio concessum est: secundò ex privilegio sumendo occasionem delinquendi: tertio non utendo privilegio ad finem intentum à privilegio, vel utendo ad contrarium finem, ut

si Clericus dispensatus à residentia, ut possit theodis navare operam, tempus otio terat, aut vanis negotiis sese occupet. Quo posito

Respondeo primò. Si abusus annectitur privilegio per modum conditionis dissolutivæ, ut si dicatur: *Concedo tibi licentiam vel potestatem hoc agendi, quamdiu illà non abuteris*, tunc quidem ipso facto amittitur privilegium per abusum, sed tamen post sententiam declarativam abusus, tunc enim amissio habet se tanquam poena, ideoque sequitur conditiones legis penalis, de quibus antecederet dictum.

Respondeo secundò. Si abusus tertio modo, se habeat, privilegium ipso facto expirat juxta superius dicta de cessatione privilegii per cessationem causæ finalis.

Respondeo tertio. Si primò, vel secundò modo contingat abusus, tunc privilegium non amittitur ipso facto, sed per sententiam judicis, ita quippe habetur in *c. privilegium 11. q. 3. c. ubi. dist. 74. privilegium mercerum amittere, qui concessa sibi abutitur potestate*. Hoc est, quòd merito sit à superiore privandus privilegio, qui eodem abutitur, non autem quòd sit ipso facto privatus.

DISPUTATIO XXXIX.

DE

Privilegiis Clericorum & Religiosorum.

Non pleno alveo fundimus præsentem materiam, quippe nimis amplam, quam ut Theologici Tractatus partem tantummodo expleat, jamq; à peritissimis Doctorum Doctoribus cum dignitate integris libris tractatam. Itaque delibandam potius studioso Lectori propinamus, quantum ad hujus Tractatus pleniorum doctrinam comparandam & complendam necesse visum est. Et dicimus de privilegiis applicatis ad particulare subiectum, quod in Theologica consideratione potissimum est duplex: Clericus & Religiosus. Sit proinde

ARTICULUS I.

De Privilegiis Clericorum.

SUMMARI A.

1. Quid significet Status?
2. Diviso status in Ecclesiasticum & Laicalem.
3. Ecclesiasticus dividitur in Clericalem & Regularem.
4. Status Ecclesiasticus non nisi per Ministrum Ecclesiasticum acquiritur.
5. Quinam Eremitæ sint in statu Ecclesiastico.
6. Ad statum Ecclesiasticum pertinent Ordines militares, Novitii, Moniales.
7. Religiosi in favorabilibus veniunt etiam nomine Clericorum.
8. Clericatus & Monachatus sunt juris Divini.
9. Quid sit privilegium canonis & fori?

§. I.

Quid sit status Ecclesiasticus?

1. Status absolute significat quandam permanen-

tem vivendi modum humane nature accommodatum, juxta Doctrinam D. Thomæ, 2. 2. q. 184. a. 1. ideoque libertas & servitus ad statum pertinent, non autem dignitates, quæ facile mutationem subeunt.

Est in primis Status Christianorum, qui per Baptismum ingressi sunt in Ecclesiam DEI, qui juxta S. Hieronymum relatum in *c. duo sunt. 12. q. 1. in Laicalem, & Clericalem*, hoc est, Ecclesiasticum, Laicalis ille est, qui complectitur personas streptu secularium negotiorum implicatas. Ecclesiasticus, qui complectitur personas per Ecclesiasticum ministrum ad speciale DEI servitium destinatas. Quæ destinatio vel fit per ordinationem vel deputationem. Si per ordinationem (ad hanc reducitur prima Tonsura à qua incipit Clericatus per *c. cum coningat. 11. de state. c. ex litteris. 4.*

S. II.

Origo status Ecclesiastici & privilegio-
rum Clericalium.

de transact.] est status Clericalis, seu Clericatus; hæc quippe deputantur in sortem Domini, unde Clerico nomen in c. 1. dist. 21. Si per deputacionem, puta indumentum habitus religiosi & receptionem solemnem Professionis, est Monachus, seu status Regularis & Religiosus: Omnes quippe Regulares sub hoc nomine comprehenduntur. Unde patet, omnem quidem Clericum, vel Regularem esse personam Ecclesiasticam, non autem omnem personam Ecclesiasticam, esse Clericalem, cum detur bona illatio à specie ad genus, non item à genere ad speciem.

4. Caterùm dixi in definitione status Ecclesiastici, per Ecclesiasticum Ministrum. Cùm enim nemo det, quod non habet, nemo etiam potest in statu Ecclesiastico quempiam collocare, qui non ipse sit in eodem gradu constitutus; ut est Episcopus respectu Clericorum ordinandorum, & Superior Regularis respectu status Regularis.
5. Ex quo intelliges primò: Eremitas, qui de licentia Episcopi, vel Superioris Regularis ejus Ordinis gestant habitum Religiosum, & sub ejus obedientia à secularibus curis segregati vitæ solitarie exercitijs vacant, esse personas Ecclesiasticas contentas nomine Monachorum, eorumque privilegijs gaudere; non autem illos, qui absque Superioris Ecclesiastici Autoritate proprio libitu ejusmodi habitum gestant, vitamque exercent, uti cum Navarro docet Engel l. 5. tit. 39. n. 130. Bordonus de privileg. Cler. c. 1. n. 31.
6. Intelliges secundò. Inter personas Ecclesiasticas computari Ordines militares, quippe Ecclesiasticâ Autoritate deputatos ad DEO servendum per impugnationem infidelium. Item Moniales, Oblatos, Novitios & Novitias ac Tertiarios Ordinis S. Francisci, Gordon. ibidem, n. 28.
7. Intelliges tertio. Cùm agitur de privilegijs, nomine Clericorum venire omnes Religiosos utriusque sexûs, non tantùm Professos, sed etiam Novitios, ita ut dicta de privilegijs Clericorum etiam sint intelligenda de Religiosis, quantumvis in odiosis non veniant nomine Clericorum: favores quippe sunt ampliandi, odia restringenda. Ita omnes cum Navar. Layman, Diana.

STATUS Ecclesiasticus tam quoad Clericatum, 2. quàm Monachatum, in nova lege à Christo sumpsit originem; Clericatus quidem, nunquid enim ipse est institutus à Patre æterno *Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech?* Ps. 109. Monachus verò; quia quamvis sine voto, tria tamen vota Religiosa obedientiæ, paupertatis, & virginæ castitatis servavit usque ad mortem: cùmque utrumque statum non ab homine sed à DEO Patre luminum acceperit, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Jac. 1. v. 17., uterque status est juris Divini. Ipse porò ceu summus Sacerdos & Episcopus Caputque Ecclesiæ, Apostolos, tanquam prima in statu Clericali membra instituit, ipsosque in Clericos, Sacerdotes, Episcopos ordinavit, atque ad Divina mysteria populis ministranda deputavit. Neque dubites, eosdem Apostolos etiam statum Religiosum sub Christo Capite fuisse profectos, cùm dicerent: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Matth. 19. Ita enim sentit D. Thomas, 2. 2. q. 88. a. 4. ad 3. dicens: *Apostoli autem intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando relictis omnibus secuti sunt eum.*

Duplex est præcipuè privilegium Clericorum: 9. Canonis, & fori. Privilegium Canonis est, quo à jure Canonico seu Ecclesiastico cavetur Clericis, ne à quoquam injuriosè percutiantur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, reservata extra articulum mortis, in Concilio Lateranensi, celebrato sub Innocentio II, a. 1139. & refertur in c. si quis, 29. 19. q. 4. Ex quo patenter constat, hoc privilegium esse juris humani. Privilegium fori est, quo persona Ecclesiastica eximitur à seculari jurisdictione, tam in civilibus, quàm criminalibus, simulque ab omnibus oneribus personalibus & realibus Laicorum, & vocatur immunitas Ecclesiastica. De qua celebris quæstio est, utrùm sit juris Divini, vel humani? Unde sit

ARTICULUS II.

An privilegium fori, & immunitas Ecclesiastica formaliter sit juris divini?

SUMMARI A.

1. Munia spiritualia Clericis competunt jure Divino.
2. Quicquid Laici obtinent in spiritualibus, habent beneficio Ecclesiæ.
3. Immunitas Ecclesiastica originaliter est juris Divini.
4. Immunitas Ecclesiastica spectari potest in communi, & in particulari.
5. Immunitas Ecclesiastica secundùm se est juris Divini.
6. Est ex antiquissimo usu gentium, dictante naturâ, teste Scriptura.
7. Instituta in antiquo testamento.
8. Non antiquatum; 9. sed roboratum in novo.
10. Ut agnoscunt Concilia & SS. Canones.
11. Adversariorum evasio depellitur.
12. Fundamentum ex ratione.
13. Extenditur immunitas juris Divini etiam ad bona Ecclesiasticorum.
14. 15. 16. Rationes pro hac sententia.
17. Immunitas Ecclesiastica quoad applicationem in particulari est juris Pontificii.
18. Objeccio prima, quod immunitas Ecclesiastica non sit juris Divini naturalis. 19. nec posteriori.
20. Immunitas est juris Divini naturalis, ideoque formaliter invariabilis.

Y 3

21. Est

21. Est & juris Divini possessio: nec appellatio D. Pauli probat oppositum.
22. Initium non habet ab Imperatoribus.
23. Solvuntur instantia de reconventionem & fundo.
24. Immunitas est juris Divini scripti.
25. Clerici sunt Reip. cives privilegiati, non prociati subditi.

§. I.

Certiora pramittuntur & status quaestio- nis exponitur.

1. Certum est primò apud omnes Catholicos Theologos & Canonistas, ea quæ sunt merè spiritualia, Divina, Ecclesiastica, Clericali statui propria, uti sunt consecrare, & administrare Sacramenta, interpretari verbum DEI, corrigere circa ista delinquentes, & infligere pœnas spirituales, sive censuras Ecclesiasticas, Clericis iure Divino & formaliter competere. Uti
2. Certum est secundò. Quicquid juris & potestatis habent Laici in spiritualibus, uti est jus patronatus, sepulturæ, exigendi pensiones beneficiorum Ecclesiasticis impositas, id totum habere ex beneficio & concessione Ecclesiæ.
3. Certum est tertio, apud omnes hanc immunitatem & exemptionem Clericorum ab oneribus & jurisdictione Laicorum saltem originaliter, causaliter, seu fundamentaliter esse juris Divini, maximè que in iure divino, & naturali fundatam. Quæstio igitur est, utrum hæc immunitas etiam immediatè & formaliter sit juris Divini, quod multi negant, quamvis fortè magis nomine quam re discordes, ut notat Clariss. Rambek panopl. disp. 1. c. 2. Censent Jo. Medina, Sotus, Sayr. in thes. l. 3. c. 22. Molina de J. & Just. to. 1. tr. 2. disp. 31. Covarr. qq. pract. c. 3 t. Castropol. part. 2. tract. 12. p. 1. n. 4. exemptionem Clericorum formaliter & immediatè esse juris humani Pontificii, tanquam in iure Divino fundatam. Ex adverso Barbosa l. 1. de iure c. 39. Lugo disp. 36. de Just. n. 10. Suarez in defens. fid. Cath. l. 4. c. 9. Diana, Azor, Layman, Tamburinus, Rambek, Bordonus, alii que plurimi docent, Clericos de iure Divino formaliter & immediatè tam quoad personas, quam quoad res, & loca immunes esse. Priusquam quæstioni respondeam.
4. Observo: Immunitatem Ecclesiasticam dupliciter posse considerari, primò formaliter, secundam se & in communi; secundò materialiter, & in hypothesi particulari, prout est applicata ad casum particularem in individuo, uti videmus aliqua secundum se esse iure naturali & Divino illicita, quæ tamen, materiâ per adventum circumstantiarum particularium immutata, fiunt licita, uti est homicidium, acceptio, vel defensio rei alienæ invito Domino, &c. quæ tamen Divino & naturali iure prohibita, tamen in particulari casu, propter inculpata defensionem vitæ, vel commune bonum Reip. honestari possunt.



Resolutio quæstionis.

CONCLUSIO, Immunitas Ecclesiastica & jurisdictione seculari & oneribus laicis secundum se & in genere est juris Divini, Ita Aut. citati.

Probatur primò è S. Script. Vet. Testamenti, ex qua constat, etiam in lege naturæ, & inter gentiles, qui solius luminis naturalis instinctum sequebantur, personas DEO sacratas, eorumque bona à popularibus oneribus fuisse immunes: quod postmodum legis antiquæ tabulis Divino & positivo præcepto fuit insertum. Ita Gen. 47. habetur, omnes possessiones Ægyptiorum Pharaoni venditas ejus dominio accessisse, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita erat eis. Ex n. 26. Ex eo tempore usque in præsentem diem in universa terra Ægypti Regibus quinta pars solvitur, & factum est quasi in legem; absque terra Sacerdotali, quæ libera ab hac condicione fuit. Ubi Glossa Ordinar. Hoc significat Ecclesiæ terram, in qua veri sunt Sacerdotes, liberam esse à censu mundano. Item Elidræ 1. c. 7. Sancivit Artaxerxes Rex potentissimus, ne Sacerdotes unâ cum reliqua gente Hebræa vectigales essent. Vobis, inquit, quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, Levitis, & Cantoribus, & Janitoribus Nabineis, & ministris domus DEI hujus, ut vigiliæ, & tributum, & annonæ non habeatis potestatem imponendi super eos. Eandem immunitatem & prærogativam Sacerdotibus à Romulo aliter tam mox ab urbe condita refert Demetrius Rom. antiq. l. 3. c. 7. eamque apud Dryadas Germanorum mythas viguisse testes sunt J. Cæsar. l. 4. comment. & Diodorus Siculus Biblioth. l. 1. c. 4. Cæterum hanc sacrarum personarum supra vulgus eminentiam, quam antea per naturale dictamen humanis mentibus inscriperat, suomet ore DEUS consecravit, cum Vet. Testamenti Sacerdotes & Levitas à cunctis oneribus populi eximios esse iussit. Num. c. 3. & 18. Exodi 30. v. 12.

Neque dicas: hoc præceptum Divinum fuisse partim judiciale, partim cæremoniale; quod sub novæ legis initium fuerit antiquatum. Nam contra est, quod non sint ex toto antiquata & emortua illa præcepta cæremonialia, quæ simul erant moralia, prout constat in præcepto de sanctificatione Sabbathi, quod partim erat morale & à lege naturali derivatum, dictante, quod aliqui dies Creatoris cultum sint specialiter deputandi: partim erat cæremoniale, quatenus hæc particulari Sabbathi dies fuit ad Divinum cultum determinata: & ideo licet in lege nova cessaverit ejus obligatio & efficacia, quæ parte erat cæremoniale [sic enim erat alligatum & proprium antiquæ legi & testamento] non tamen cessavit, prout erat morale: Atque præceptum de immunitate Sacerdotum & Levitarum non erat purè cæremoniale, sed etiam morale, fundatum in dictamine naturali, quod personæ DEO sacræ, adeoque in altiori gradu constitutæ non sint subijcendæ jurisdictioni inferioris ordinis: ergo tamen modò cessaverit quantum ad specificam rationem antiquæ figuræ, utpote quo tantum figurabatur

novæ Legis Sacerdotium: hoc tamen in illius vicem substituto & in majorem perfectionem evecto, etiam præceptum Ecclesiasticæ immunitatis non antiquari, sed magis perfici, ac roborari oportuit.

9. Probatur secundò autoritate Novi Testamenti. Et primò ex Matth. c. 17. v. 24. ubi cum Christus Petrum interrogasset: *Reges terra a quibus accipiunt tributum, vel censum: a filiis suis, an ab alienis?* Petro respondente, *ab alienis*, Christus intulit: *ergo liberi sunt filii.* & mox tantum ad evitandum scandalum jubet pro ea vice tributum pendere: *ut autem non scandalizemus eos, da pro me, & te &c.* Hic Petrus, in cujus persona representabatur status Ecclesiasticus, [cujus membra rectè dicuntur filii, & esse de familia Christi, utpote in DEI sortem specialiter assumpti, unde & Clerici dicuntur] liber à solvendo tributo pronunciat.

Rursus Act. 20. v. 28. Episcopi & Prælati dicuntur per Spiritum S. constitui *Rectores*, adeoque Superiores & Judices Ecclesiarum. Et Petro dictum Jo. 21. 17. *Pasce oves meas.* Quibus verbis ipse supremus, & alii participatâ jurisdictione subordinati pastores supra fideles sunt constituti: ergo eodem ore et jure Divino Episcopi & Prælati sunt Judices personarum ad se pertinentium, & Laici non sunt pastores sed oves respectu Ecclesiasticorum. Quis autem non palpet, [inquit noster P. Engel hoc tit. §. 2.] summam inconvenientiam, ut Pastores regantur & judicentur ab ovibus? & ut secularis & mundana potestas circa idem objectum sese immisceat in potestatem toto ordine sublimiorem? Cum & perpetua Ecclesiæ consuetudo, interpres optima, præter SS. Canonum, quos fœdè referemus, auctoritatem hanc Divino jure fundatam jurisdictionum diversitatem confirmet.

10. Probatur tertio autoritate SS. Canonum & Conciliorum. Nam Leo X. in Concilio Lateranensi sess. 9. dicit: *Et cum à jure tam Divino, quam humano Laicis nulla potestas in Ecclesiasticas personas attributa sit.* quod ipsum habetur in c. non minus 1. de immunit. & c. quamquam 4. de censib. in 6. his verbis: *Cum igitur Ecclesiæ Ecclesiasticæ, persona & res ipsarum non solum jure humano, quin imò & Divino, à secularium personarum exactionibus sint immunes.*

11. Respondent Adversarii To jure Divino accipi pro canonico, & jure humano pro Civili, sed huic frigida expositioni, aliena à stylo & consuetudine SS. Canonum obstat primò Concilium Trident. sess. 25. cap. 10. dicens: *Personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI ordinatione & canonicis sanctionibus consecutam.* Ubi vides canonicum jus à Divina ordinatione seu jure distinctum. Obstat c. si Imperator. 11. dist. 98. ubi habetur: *Non à legibus publicis, non à potestatibus seculi, sed à Pontificibus & Sacerdotibus [NB] Omnipotentem DEUM voluisse Clericos & Sacerdotes ordinari, & discuti, h. e. judicari per c. discute 6. 3. q. 6. & c. judicantem 11. 30. q. 5.* Obstat auctoritas Constantini M. qui in Concilio Nicano, cum ipsi Clericorum accusationes offerrentur, vocatis reis, libellos incendit, & dixit: *vos à nemine judicari potestis, quia solius DEI*

judicio reservamini. Dii enim vocati estis. Ire, & inter vos causas vestras disponite, quia dii num non est, ut nos judicemus DEOS. Cujus sententiæ fuerunt ejusdem quoque Successores Valentinianus, Theodosius, Arcadius, relati in c. in continua. 5. 11. q. 1.

Quòd porrò jure Canonico personis Ecclesiasticis cautum sit de Immunitate, constat ex integritatibus Juris de judic. & de foro compet. vel maximè verò ex Bulla Cœnæ D. quotannis promulgari solita, in qua censurâ excommunicationis fulminantur omnes Ecclesiasticæ immunitatis violatores.

Probatur quartò ratione. Si jure Divino institutum est regimen Ecclesiasticum, multo eminentius regimine politico, & ab illo distinctum, tunc etiam jure Divino status Ecclesiasticus non est subjectus jurisdictioni regiminis politici: atqui antecedens est verum: ergo & consequens. Sequela liquet: quia jurisdictioni non se extendit ultra limites sui objecti & fori; & potissimum inferior non potest se intrudere intra limites fori Superioris. Minor ex dictis patet: quia Christus instituit Rectores & Pastores Ecclesiæ; adeoque & regimen Ecclesiasticum, ita ut eodem jure hierarchia & regimen Ecclesiæ sit institutum, quo ipsa Ecclesiæ, cum unum sine altero non possit subsistere.

Neque existimes, ista pertinere solummodo ad exemptionem & immunitatem personalem, non item realem. Nam præcitatæ Canones & Concilia etiam res tum Ecclesiarum, tum personarum Ecclesiasticarum ab exactionibus jure Divino immunes pronunciant. Unde Azorius to. 1. l. 5. c. 12. q. 1. cum Recentiores quosdam Theologos pro contraria sententia retulisset; rectè subjicit: *Debet tamen majoris ponderis & firmitatis esse, quod in jure Canonico decisum legitur, quam quod in contrarium prædicti recentiores Theologi docuerunt: illorum enim auctoritas privata est, & solummodo tantum probat, quantum ratione [nisi jus resistat] convincunt: SS. autem Canonum auctoritas publica est, & authentica, à qua non licet sine piaculo recedere.*

Et ratio est primò: quia magis dignum trahit ad se minus dignum, c. quòd in dubiis 3. de consec. Ecclesiæ. & quæ Religiosis adherent, religiosa cententur, L. que Religiosis 43. ff. de Rei vindicatione. Res quoque Clericorum & res Ecclesiasticæ quantum ad evitandam secularium jurisdictionem parificantur; eo quòd hoc ipso persona Clerici traheretur in judicium & sententiam Judicis Laici, si de bonis ipsius in judicio Laicali agi posset, ut docet P. Engel. loc. cit.

Ratio est secundò. Clerici novæ Legis non sunt deterioris conditionis, quam Sacerdotes & Levitæ antiquæ Legis, quibus omnia solum in figura contingebant, erantque solum umbra quædam nostri Sacerdotii: sed illi jure Divino erant in suis bonis immunes ab exactionibus & tributis: ergo & Clerici novæ Legis. Et certe apud profanas quoque & veri Numinis ignaras gentes, non solum personas sed etiam bona ipsorum fuisse à vectigalibus immunita, testantur Authores primitus allegati.

Ratio est tertio, Bona Clericorum, præsertim

tim prospectu Ecclesie acquisita, sunt de patrimonio Christi, atque ex bonis DEO oblatis pro eius honore, sustentatione Ministrorum, & pauperum: sed ista jure Divino sunt exempta à potestate Laicorum: Nam tributa & exactiones sunt signa ac protestationes subjectionis, ut innuit Apostolus Rom. 13. 6. dicens: *ideo & tributa præstatis*. Sed bona DEO oblata, & ad patrimonium Christi pertinentia, cujus administratio Ecclesie competit, non sunt capacia subjectionis erga potestatem laicalem: ergo super illis non possunt imponi tributa, & exactiones. Vide e, *expedit 13. 12. 9. 1. c. cum ex eo. 34. de elect. in 6.*

27. Dixi tamen in conclusione: immunitatem Ecclesiasticam formaliter secundum se, & in genere esse juris Divini; nam quoad executionem & applicationem determinatam in particulari & ad singulare individuum est juris humani Pontificii: e. g. quod primà Tonsurà initiatus, quod Novitius, quod Tertiarius &c. inter Ecclesiasticas personas annumeretur & gaudeat fori privilegio, SS. Canonibus Ecclesie, & SS. Pontificum dispositioni debet, quibus ejusmodi particularem determinationem ac dispensationem DEUS in pluribus reliquit; uti determinationem diei Dominicæ pro cultu Divino, determinationem diei Martiarum &c. quod notanter expressit Tridentinum, cum dixit: *Ecclesiasticarum personarum exemptionem DE I ordinatione, & Ecclesiasticis sanctionibus esse constitutam*. Cujus quidem signum manifestum est; quod multi extent SS. Canones, quibus in specie definitum est, quibus personis, quibus casibus, & quousque hac immunitas Ecclesiastica competat, quando muretur, auferatur, &c.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

28. Objicis primò. Si immunitas Clericorum foret juris Divini, vel foret juris Divini naturalis, vel positivi: neutrum potest dici. Non quòd sit juris Divini naturalis: primò, quia hoc est invariabile: atqui immunitas Ecclesiastica est variabilis, patiturque se restringi ac minui, quod ostendunt complures variationes per SS. Canones expressæ. Secundò; quia natura characteris & status Clericalis non excludit subjectionem ad forum sæculare: neque enim repugnat, eandem personam esse addictam Divino cultui, simulque subditam foro & jurisdictioni Principis sæcularis. Imò terriò: De facto in primitiva Ecclesia, & posterioribus sæculis non tantum Paganis sed etiam Catholicis Imperatoribus Clerici paruerunt: Unde & D. Paulus appellavit ad Cæsarem, & constat ex Aët. 25. & toto tit. *C. de Saeros. Eccles.* Et quartò: Juris naturalis nullum datur initium; sed privilegium fori initium agnoscit & originem ab Imperatoribus, præsertim Justiniano constit. 83. qui tamen privilegium fori Clericalis tantum in civilibus concessit; in criminalibus verò sub sæculari potestate reliquit. Quintò: Adhuc Clerici sunt subiecti quandoque potestati Laicali, uti patet in Clerico, qui Minoribus initiatus caret beneficio, juxta Trident. Sess. 23. c. 6. item in causa reconventionis, in causa

feudi, in causa gravis delicti, ratione cujus traditur curiæ sæculari.

Quod neque sit de Jure Divino positivo, probatur, quia nullus est assignabilis clarus S. Scripturæ textus, qui non in alium sensum facile explicari possit. Et quamvis textus Matth. 17. favoreat exemptioni D. Petri, tamen nullum est fundamentum, exemptionem Petro ex speciali ipsius prærogativa concessam extendendi ad omnes Ecclesiasticos: Et tamen si dicas, Ecclesiasticos esse de familia Petri, vel Christi, hoc tamen nil probat: nam omnes Christiani & baptizati possunt dici de familia Christi & Petri: siquidem per baptismum intrant in Ecclesiam, cui Petrus præest, ex hoc tamen minime sequitur, quòd sint exempti à jurisdictione fori sæcularis.

Respondeo. Esse de jure Divino tam naturalis, quam positivi. Ad primam impugnationem distinguo majorem, jus naturale est invariabile, formaliter & intrinsecè, concedo; materialiter & extrinsecè, nego: sed immunitas Ecclesiastica variatur formaliter intrinsecè nego; materialiter extrinsecè, concedo; vel subaliquo: quoad exercitium seu executionem in particulari concedo, [quod est immunitati materiale]; quoad ipsam immunitatem secundum se & in communi, nego: ergo immunitas non est juris Divini sed humani, quantum ad executionem & applicationem in particulari, concedo; quoad ipsam immunitatem secundum se, nego consequentiam.

Ad 2. nego antecedens, cujus oppositum in nostris fundamentis ostendimus. Et ad tertiam probationem, quæ priori succollat, dico, id totum de facto, non de jure contigisse, sicut si nunc quoque Clerici jurisdictioni sæculari parere cogantur, non juri, sed facti violentiæ adscribendum erit.

Appellatio D. Pauli ad Cæsarem nihil probat: quia non appellavit ad Cæsarem tanquam ad suum, sed tanquam ad judicem & Superiorem Officialium Cæsareorum, à quibus injustè vexabatur; actor autem sequitur forum rei, per *C. Cleric. 5. de foro compet.* Alii dicunt, Paulum appellasse appellatione naturali, seu facti, non appellatione legali, seu juris; h. e. in defectu alterius auxilii; quo se posset adversus injuriam tueri, Cæsaris auxilium; qui juvare posset, implorasse, quod est juris naturalis remedium unicuique concessum.

Ad 4. Respondeo, Immunitatem Ecclesiasticam ab Imperatoribus non accepisse initium, sed robur; eosque non novum jus statuisse, sed jus Divinum declarasse, ejusque exercitium autoritate legum firmasse: quod pridem ante Justinianum à Constantino M. præstitum, constat ex præcedenti. Si qua porro huic Clericorum privilegio contraria Principum edicta & constitutiones reperiuntur, tanquam Divino & Canonico juri contraria; sunt habenda pro nullis.

Ad 5. Respondeo: Clericum in Minoribus constitutum & beneficio carentem, tunc solum jurisdictioni fori sæcularis subesse, quando caret requisitis à Tridentino cit. Sess. 23. c. 6. præscriptis: quorum defectu probato non agnoscitur esse è statu Clericali, nec proinde gaudet privilegio

gio Clericali. Ad alterum, quod additur de reconventionem & feudo: quicquid sit, an Clericus coram Iudice seculari reconveniri possit, de quo disceptant Authores? Respondeo, utrinque Iudicem laicum procedere, tanquam jure Ecclesiastico delegatum, ut colligi potest ex c. 1. de mut. petit. ex c. ceterum. §. de judic. & c. verum. 7. de foro compet. Bordon. de privileg. Cleric. c. 2. n. 50. Adde ex P. Engel l. 3. tit. 49. n. 24. bona feudalia non transire pleno jure ad Clericum, sed Dominum, qui ea concedit; certas sibi condiciones, & jura reservare, ideoque Clericos in istis bonis judicium Domini secularis declinare non posse. Nostra verò assertio procedit de bonis allodialibus & patrimonialibus. In causa verò delicti tunc primum Clericus traditur brachio seculari puniendus, quando à statu Clericali dejectus, & in laicalem redactus, privilegiis quoque Clericalibus est exutus.

24. Ad alteram partem cornuta objectionis Respondeo, neque hoc cornu ferire: nam primò tametsi immunitas non esset de jure divino scripto, sufficeret quòd esset de jure Divino tradito & definito, quorum utrumque satis apertè constat ex præallegatis autoritatibus Conciliorum

& SS. Canonum. Insuper esse de jure Divino scripto, & ex eo per evidentem consequentiam deduci ex verbis Christi: *ergo sunt liberi, Pasce oves meas*, &c. §. priori ostensum est.

Objicies tamen secundò. Decet ut concives, & unius Reip. membra convenient sub jurisdictione unius capituli, & turpis est omnis pars discordans à suo toto: sed Clerici sunt concives unius Reip. cum secularibus, gaudentque communibus favoribus: ergo æquum est, ut etiam subint jurisdictioni Civili, & in suis bonis portent onera, quæ portant seculares: nam qui sentit commodum: sentiat etiam onus.

Respondeo distinguendo majorem: si non sunt membra & Cives privilegiati, concedo; si sunt privilegiati non subditi, & habentes proprium forum, nego maj. & sic distinctà minore, nego consequentiam. Ad hoc porrò, ut non discordent ab aliis membris, & præter commoda etiam onus sentiant, nequaquam necesse est, ut cum aliis civibus habeant eundem judicem & jurisdictionem, sed sufficit, quòd teneantur saltem indirectè se conformare aliis membris in legibus ad communem tranquillitatem pertinentibus, uti priùs dictum Disp. 35. Art. 5. §. 5.

ARTICULUS III.

Quomodo acquiratur, amittatur, & mutetur privilegium fori?

SUMMARIUM.

1. Privilegium fori acquiritur Ordinatione, & collatione habitus Religiosi.
2. Invalida ordinatio non confert privilegium.
3. Confert autem illicita.
4. Illicite ordinatus privatur privilegio per sententiam judicis.
5. Ordinatus per saltum acquirit privilegium Clericorum.
6. Gaudent privilegio Novitii, Moniales, Novitiae.
7. Conditiones à Tridentino præscriptæ tonsuræ, & in Minoribus constitutæ, ut gaudeant privilegio.
8. Ille conditiones collectivè sunt intelligendæ.
9. Religiosi non tenentur ad illas conditiones.
10. Tenentur verò Clerici scholares excepto servitio Ecclesiæ.
11. Servitium Ecclesiæ debet esse spirituale, quæ non requirit expressum mandatum Episcopi.
12. Debet habere moralem perseverantiam.
13. Potest contra conditiones Tridentini præscribi.
14. Concilia æquiparantur SS. Evangelis in materia fidei.
15. Per clausulam Tridentini derogatur tantum præteritis contrariis consuetudinibus.
16. Immunitas Ecclesiastica nec à S. Pont. nec contrariâ consuetudine tolli potest.
17. SS. Canones circa immunitatem nil mutant formaliter, sed tantum materialiter.
18. Clericus non potest renunciare privilegio fori.
19. Quanta depositio habitus sufficiat ad amittendum privilegium fori?
20. Ad amittendum privilegium defectu 3. conditionum non prærequiritur trina monitio.
21. Prærequiritur tamen sententia declaratoria, R. P. Mezger, Theol. Schol. Tom. II.

§. I.

Acquisitio fori.

Privilegium fori acquiritur iis modis, quibus si aliqua persona in statum Ecclesiasticum cooptatur: Is modus in genere, ut dixi initio hujus Disputationis, est destinatio personæ ad speciale DEI servitium, quæ si fiat per ordinationem, constituit personam in statu Clericali; si per collationem habitus Religiosi, constituit in statu Religioso. Cùm igitur privilegium fori acquiratur per assumptionem ad statum Ecclesiasticum, duplex etiam est modus specificus, quo privilegium fori acquiritur. Primus est Ordinatio, quæ incipit à prima Tonsura, quamvis illa non sit nisi præambulum ad SS. Ordines, neque imprimat intrinsecum characterem, ut suo loco dicitur; per primam quippe Tonsuram persona jam discriminatur ab aliis Christianis, atque in sortem Domini assumpta disponitur ad SS. Ordines suscipiendos: ideoque Episcopus post collatam primam Tonsuram, sic Neoclericos alloquitur: *Filii charissimi animadvertere debetis, quòd hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & privilegia Clericalia sortiti estis. Cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis, &c.* Secundò, collatio habitus Religiosi facta à Superiore habente potestatem conferendi ejusmodi habitum, per hanc quippe persona specialiter DEO dedicatur, & collatur in statu Ecclesiastico juxta Auth. post. l. 12. C. de SS. Eccles. Ingressi Monasteria ipso ingressu se suaq. dedicant DEO.

2. Quæres primò. An invalidè tonsuratus, vel ordinatus accipiat privilegium fori?
 Respondeo negativè; quia privilegium fori præsupponit statum Ecclesiasticum, sed per invalidam tonsuram, vel ordinationem non acquiritur status Ecclesiasticus & Clericalis: nam nullitas causæ infert nullitatem effectûs; ergo per invalidam tonsuram vel ordinationem non acquiritur privilegium fori. Donatus p. 4. tr. 2. q. 9.
3. Quæres secundò. An illicitè tonsuratus vel ordinatus acquirat privilegium fori?
 Respondeo affirmativè, quamvis per sententiam declaratoriam Judicis Ecclesiastici ejusmodi privilegio privari possit. Probatur ex responso S. Congregationis dato apud Fagnanum ad c. eum contingat. de etate. n. 118. quo declaratur, quandam Abbatem validè contulisse primam tonsuram, & characterem impressisse [intellige moralem tantum] cuidam sibi non subdito, adeoque illi privilegia Clericalia contulisse.
4. Nec obstat Trident. c. 10. Sess. 7. de ordinatis ab alieno Episcopo sede vacante ita statuens: *Et sic ordinati si in Minoribus fuerim Ordinibus constituti nullo privilegio Clericali præsertim in criminalibus gaudeant.* Nam rō non gaudeant solum imporat poenam comminatoriam, & privationem privilegii post sententiam Ecclesiastici Judicis, adeoque præsupponit acquisitionem privilegii, prout pluribus declarat Bordonus de privil. Cler. cap. 4. n. 13. 14. 15. & seqq. Ex quibus
5. Inferes: Ordinatam omisâ primâ Tonsurâ, vel per saltum, item ante annos discretionis, seu legitimam ætatem, acquirere privilegia clericalia: quia talis ordinatio valet. & imprimis characterem, ut constat ex c. un. de Clerico per saltum promot. & tradunt DD. ibidem.
6. Quæres tertio. Utrum Novitiū Religionum etiam militarium; item Moniales tam Professæ, quam Novitiæ gaudeant privilegiis clericalibus?
 Respondeo affirmativè: nam omnes istæ personæ per susceptionem habitus Religiosi transierunt ad statum Ecclesiasticum, & cum favores sint ampliandi, in favorabilibus cum veris Religiosis communicant, esto nondum per Professionem perfectè & ultimè ingressi sint Religionem.
7. Quæres quartò. An requirantur certæ conditiones, ut aliquis possit gaudere privilegio fori? Respondeo. Pro iis, qui solum primâ Tonsurâ vel Minoribus Ordinibus sunt initiati, Jure novo Tridentini præscribuntur certæ conditiones, ut possint gaudere privilegio fori [h. e. impedite frui exercitio sui privilegii]. Sess. 23. c. 6. his verbis expressæ: *Nullus primâ Tonsurâ initiatus, aut etiam in Minoribus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam privilegio fori non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum & tonsuram deferens alicui Ecclesie ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos versetur.* Ergo solum Clerico tonsurato, vel in Minoribus constituto (de his enim loquitur Trident. non de iis, qui jam in sacris
- constituti ad statum laicalem redire non possunt, adeoque etiam non servatis hisce conditionibus manent Clerici) præscriptæ sunt conditiones, ut vel habeat beneficium cui capiendū prægritur ætas completa 13. annorum, eam antea septennium suffecerit, vel portet habitum, tonsuram, serviatque Ecclesie; cui servituti equiparatur Seminarium, & studium in Schola, vel Universitate. Unde
- Quæres quintò. An illæ tres conditiones habitus, tonsuræ, servitutis, collectivè vel disjunctivè sint accipiendæ?
 Respondeo. Sunt accipiendæ collectivè; id quippe sufficienter exprimitur per vocem copulativam: Unde unâ ex istis deficiente amittitur privilegium fori, ut habet Castropal. p. 2. n. 7. Bordon. c. 6. n. 6. sed
- Quæres sextò. An etiam Religiosi Professæ, vel Novitiæ ad retinendum privilegium fori teneantur ad prædictas conditiones?
 Respondeo negativè. Nam lex Tridentini est odiosa, utpote Clericos subjiciens novis oneribus, à quibus antehac jure communi erant liberi, ergo non ampliari, sed restringi debet.
- Quæres septimò. An Clerici Scholares præter studium, vel Seminarium debeant habere memorata requisita?
 Respondeo affirmativè: quia Concilium præter habitum & tonsuram requirit disjunctivè vel servitium Ecclesie, vel studium, vel Seminarium, ergo sicuti præter servitium Ecclesie necessariò requiritur habitus & tonsura Clericalis; sic etiam præter Seminarium, vel studium. Et sic S. Congreg. declarasse refert Fagnan. in c. si quis de foro compet. n. 19.
- Quæres octavò. Qualis & quanta debeat servitus Ecclesie, ut satisfiat intentioni Tridentini?
 Respondeo primò: Servitium à Tridentino requisitum est spirituale, non determinatum ad certam Ecclesiam, Bordon. loc. cit. ad n. 20. Requiritur enim tanquam *via ad Majores Ordines suscipiendos*, hoc autem solum præstat servitium spirituale, id potissimum quod ex officio Sacrorum Ordinum exercetur: quò perinet etiam cantus in Ecclesia, servitium Missæ, frequentatio processionum, &c.
- Hinc primò. Non acquirit privilegium fori, qui servit Ecclesie pro Advocato, vel Notario, quia hoc non est servitium spirituale, ut habet Covarruv. l. 2. var. c. 1. Secundò sufficit servitium præstitum Ecclesie Regulari etiam non parochiali, quia eum Tridentinum indeterminatè dicit, *alicui Ecclesie inserviat*, non est cur Ecclesiarum limitatio fieri debeat. Unde tertio, est Clericus sine aliquo mandato Episcopi, vel alteri Ecclesie quam Episcopus mandavit, serviat, inservit Tridentino in ordine ad immunitatem fortis; ita quippe respondisse S. Congregationem refert Fagnanus p. 3. ad c. si quis, de foro compet. n. 21. Neque refert, quòd Tridentinum vult, ut inserviat Ecclesie ex mandato Episcopi; non enim requiritur mandatum expressum, sed sufficit implicitum, quod in ipsa executione & exercitio servitii per Tridentinum requisitò includitur.
- Respondeo secundò. Ut Clericus satisfaciatur requi-

requisito servitii, sufficit, quod per aliquot vices illud exerceat, ita ut exinde frequens & perseverans in Ecclesie servitio prudenter judicari possit. Unde non est opus, ut singulis festis & Dominicis diebus sacris officiis intersit, dummodo aliquoties id faciat, prout cum Barbosa & Delbene docet Bordonus cit. c. 6. n. 24.

13. Quæres nono. Utrum contra unam ex istis conditionibus à Tridentino requisitis, præscribi possit per contrariam consuetudinem?

Respondeo affirmativè: nam primò leges Concilii non sunt majoris roboris, quàm leges Pontificie: sed contra istas potest induci contraria & rationalis consuetudo: ergo etiam contra illas. Secundo. Ipsum Concilium Trident. loc. cit. sustulit omnes consuetudines etiam immemorales, quæ obstabant legibus indicatis in c. un. de Cleric. conjug. in 6. sed illæ leges erant Concilii Lateranensis: ergo Concilium agnoscit posse introduci consuetudinem præscriptam contra ipsum Concilium, cum illæ quoque consuetudines in suo robore persistissent, nisi à Tridentino abrogatæ fuissent.

14. Nec obest primò, quod Fagnanus opponit, Concilii œcumenicis deberi reverentiam & observantiam, sicut Sanctis DEI Evangelii; hoc enim conceditur in his, quæ ad fidem pertinent, in reliquis verò leges Conciliorum humanæ legis naturam sequuntur, ideoque contrariâ consuetudine aboleri possunt.

15. Nec obest secundò clausula derogatoria: *Nemini quoad hoc privilegio, vel consuetudine etiam immemorabili suffragante.* Nam per ejusmodi clausulam præteritas tantum consuetudines, non etiam futuras abrogari docet Suarez l. 7. de leg. c. 7. & colligitur ex verbo *suffragante*; neque enim consuetudo suffragari poterat, quæ nondum existebat, adeoque tantum intelligebatur consuetudo præterita, vel existens tempore conditi decreti.

§. II.

Amisio, & mutatio fori.

16. Quæres primò. Utrum immunitas Ecclesiastica constitutione Summi Pontificis, aut consuetudine contrariâ mutari, aut tolli possit? Respondeo negativè. Nam humana potestas in lege Divina præsertim naturali formaliter mutare nihil potest: sed immunitas Ecclesiastica, ut dictum, est juris Divini: ergo humanâ potestate Summi Pontificis formaliter mutari aut tolli non potest.

17. Inquis: cur ergo tot reperiuntur Canones, quibus certis personis auferitur privilegium fori & canonis, quando non implent præscriptas conditiones, si immunitas jure Ecclesiastico tolli, aut mutari non potest? Respondeo, hanc mutationem non esse formalem, sed materiale, unde notanter dictum, *formaliter mutari non posse.*

Esset formalis mutatio, si à persona Ecclesiastica in sensu composito statûs Ecclesiastici, & quamdiu illa pro tali agnosceretur, auferretur immunitas. Materialis mutatio est, quæ fit circa ipsam personam, eandem acceptando ad statum Ecclesiasticum, eique applicando privilegium fori. Quod cum Ecclesia possit facere sub certis conditionibus, quid mirum, si persona quæ iis servatis in statu Ecclesiastico recenseri, & privilegio fori gaudere potuisset, iis non servatis à statu Ecclesiastico & consequenter à privilegio fori excidat?

Colliges: Clericum non posse renunciare privilegio fori, quamdiu manet Clericus; quia non potest juri Divino, Ecclesiastico, torique statûs Ecclesiastico inferre præjudicium, de quo jam aliàs dictum priori Disp. art. 3. §. 1. n. 3.

Quæres secundò. Quanta debeat esse depositio habitus Clericalis, ut ratione ipsius Clericus perdat privilegium fori?

Certum est, non amitti privilegium, quando habitus deponitur ex certa causa, sive honesta, sive peccaminosa, cum intentione iterum resumendi; E. g. si Clericus in domo, si in lecto, si laboris, piscationis, lusus, joci &c. causâ habitum deponat, postea resumpturus in publico.

Respondeo igitur. Quando Clericus ita deponit habitum, ut ex ejus depositione prudenter colligatur, renunciâsse statui Clericali, tunc Clericus amittit privilegium fori. Hoc porro dupliciter contingit, vel quòd cum depositione habitus conjungatur actum statui Clericali adversantem, ut si ducat uxorem, fiat miles, &c. vel quòd per tam notabile tempus habitum gestare intermitrat, ut publicè existimeretur Laicus, ad quod Barbosa censet sufficere octo menses, Delbene part. 1. c. 4. dub. 8. in Hispania & Gallia, ait, requiri quadriennium, communior cum Farinacio q. 8. n. 63. Mascardo de General. Statutorum interp. concl. 1. annum sufficere existimant.

Quæres tertio. An, ut Clericus amittat privilegium fori, præter defectum requisitarum conditionum prærequiratur trina admonitio, de qua dicitur in c. fin. de vita & honest. Clericor. c. contingit 4 §. de sent. excomm.

Respondeo negativè, prout Fagnanus refert decim à S. Congregatione, eò quòd Tridentinum nullâ factâ mentione trinæ monitionis ad amissionem privilegii solummodo requirat neglectum unius ex prædictis conditionibus.

Quæres quarto. An saltem requiratur sententia declaratoria Judicis Ecclesiastici, ut propter omissionem unius ex præscriptis conditionibus Clericus amittat privilegium fori?

Respondeo affirmativè, quia est lex pœnalis & strictæ interpretationis: leges autem pœnales privantes jure quæsito, non obligant ante sententiam judicis, saltem declaratoriam criminis, prout de lege pœnali cum Layman, Castropal. Salmantic. superius dixi.



ARTICULUS IV.

De privilegio Canonis.

SUMMARI A.

1. Exponitur privilegium Canonis.
2. Privilegium Canonis perditur à Clerico tonsurato, non servante prescriptas condiciones Tridentini.
3. Quinam criminosi gaudeant, vel non gaudeant privilegio canonis?
4. Clericus conjugatus cum unica virgine gaudet privil. can. non bigamus.
5. Omnes Regulares etiam Novitii & Conversi veniunt in Canone nomine Monachorum.
6. Nec excludantur apostatae, veleselli.
7. Per vocem si quis etiam intelliguntur mandantes, consulentes &c.
8. Nisi mandatum fuerit revocatum.
9. Percussor Clerici consentientis non evadit censuram.
10. Ad incurrendam censuram requiritur actio mortaliter injuriosa, & corporis aesthetiva.
11. Parvitas externa laesioni aliquando excusat.
12. Non semper necessaria est gravis laesio in corpore.
13. Varia causa percussorem excusantes à censurà.
14. Triplex differentia in percussione Clerici.
15. Absolvere possunt à censura cum diversitate Legatus à Latere, Nuncius, Legatus natus.
16. Quibus casibus absolvat Episcopus?
17. Regulares absolvuntur a suis Praelatis.
18. An etiam percussor Religiosi alterius Ordinis, vel Monasterii?

§. I.

Quinam gaudeant privilegio Canonis?

1. Privilegium Canonis, cujus definitionem de di art. i. n. 9. continetur in c. si quis suadente 29. 16. q. 4. his verbis: Si quis suadente Diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum praesum at absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui presentetur, & ejus mandatum suscipiat. Ex quo constat, hoc privilegium non esse juris Divini, sed humani, quippe quod originem trahit à Concilio Lateranensi, celebrato sub Innocentio II. anno 1139. Quares primò. An Clericus solum tonsuratus, aut minoribus initiatus gaudeat privilegio Canonis? Respondeo affirmativè, si servet tria requisita Tridentini, de quibus art. praeced. tunc enim est verè Clericus & persona Ecclesiastica gaudens privilegio fori, ut habetur ex eod. Trident. &c. ex litteris 6. de transact. c. cum contingat ij. de aetate: sed persona Ecclesiastica & Clericales gaudent privilegio Canonis: ergo & Clericus solum tonsuratus, aut minoribus Ordinibus initiatu gaudet privilegio Canonis. Sed Quares secundò. Quid si non servet unum ex requisitis, v. g. non deferat habitum Clericalem? perderne privilegium canonis.

Negativam tenet Bordonus citans Gonzal. glos. 5. §. 5. Castropal. Dianam, aliosque, & colligitur ex c. si verò, 4. de sent. excomm. ubi percutiens Clericum comam nutrientem dicitur incurrere excommunicationem, si sciebat esse Clericum. Ratio quoque est: quòd Tridentinum non loquatur de privilegio canonis, sed de privilegio fori: nulla est autem dependentia inter privilegium fori & canonis: neque in penalibus licet facere extensionem ab uno ad aliud.

Affirmativam teneat Suarez de cens. disp. 14 dub. 15. Bannez 2. 2. q. 12. a. 1. Engel de sent. excomm. §. 4. n. 127. quam immerito improbabilitatis censurà notat Bordonus loc. cit. Huic subscribo: & Ratio est: Nemo gaudet privilegio Canonis, nisi sit in statu Clericali, vel Monachali: sed Clericus tonsuratus aut in minoribus constitutus non servans requisita Tridentini post sententiam declaratoriam iudicis non amplius censetur esse de statu Clericali, sed ad Laicalem redigitur: ergo neque gaudet privilegio Canonis. Quamvis igitur non sit omnimoda & convertibilis connexio inter privilegium fori & canonis, unde non licet ab amissionem privilegii canonis inferre amissionem privilegii fori & immunitatis, cum ista sit de jure Divino, illa de humano: nihilominus ab amissionem privilegii fori tanquam à majori ad minus bene inferretur amissionem privilegii canonis, subtrahà nemirum radice status Ecclesiastici, in qua fundatur. Ad c. si verò. Respond. ejus dispositionem obtinuisse locum ante Trident. ubi nondum erant necessaria illa requisita: neque supponitur facta iudicis declaratio, quam etiam post Tridentinum necessariam esse dixi art. praeced. Ad rationem Bordonii Respond. non fieri extensionem, sed esse sequelam infallibilem propter translationem tonsurati à statu Clericali ad Laicalem, quam etiam agnoscit ipse Bordonus n. 11. Quares tertio. An gaudeant privilegio canonis Clerici criminosi, & censuris innodati? Respondeo primò. Gaudent privilegio canonis omnes Clerici quantumvis excommunicati, suspensi, depositi, irregulares, quia effectus censuræ non est privare privilegio canonis, & ita censent DD. communiter cum Abb. in c. Ecclesia de immun. Eccles.

Respondeo secundò. Non gaudent privilegio canonis [1] degradati, cum propriis effectibus degradationis sit deiecere à dignitate status Ecclesiastici ad statum laicalem, ac degradatum exuere non tantum privilegio canonis, sed etiam fori. [2] qui se immiscet enormibus delictis, c. cum non ab homine. 14. & c. perpendimus. 23. de sent. excomm. censentur potèr enormis delicta, homicidium, commotio seditionis & bellum, aggressiones, furtum, aliaque, quae infamiam parant, cap. infames 3. q. 7. [3] qui dimisso habitu, vel tonsurà negotiis secularibus se immiscerunt.

stent, histrioniam exercent, macellarios, tabernarios agunt, & ab Episcopo suo tertio moniti non emendantur. *c. in audientia, 25. & c. consingit, 45. de sent. excom.*

4. Quæres quartò. An Clericus conjugatus gaudeat privilegio Canonis?

Respondeo. Clerici conjugati, qui cum unica & virgine contraxerunt, habitum quoque & tonsuram deferunt, atque Ecclesiæ alicui inserviunt, gaudent privilegio Canonis & fori per *c. un. de Cler. conjug. in 6. & Trident. cit. sess. 23. c. 6.* Secus dicendum, si fuerint bigami, aut viduas, vel corruptas duxerint, tunc enim ipso jure privantur privilegiis Clericalibus & prohibentur gestare habitum Clericalem. *c. un. de bigamis in 6. c. quisquis 5. dist. 84.*

5. Quæres quintò. Quinam in *c. si quis* intelligantur nomine Monachorum?

Respondeo: Omnes Ordinum approbatorum Regulares, etiam Novitios, Conversos, seu Laicos, & Moniales, per *c. non dubium §. c. de Monialibus, 33. de sent. excom.* Ad quos reducuntur Eremitæ, qui sub obedientia Episcopi vel Prælati vitam religiosam imitantur, quamvis 3. vota substantialia non emittant: tunc enim fiunt personæ Ecclesiasticæ juxta superius dicta. Engel citat, cum Sylvestro & Navarro.

6. Quæres sextò. An Religiosi apostatæ, vel ejecti gaudeant privilegio Canonis?

Respondeo affirmativè cum Diana p. 9, tit. 4. resol. 12. Bordonò de privileg. Cler. c. 21. n. 48. etiam si tonsuram & habitum dimiserint, quia privatio privilegiorum Clericalium respectu Religiosorum apostatarum, vel ejectorum nullo jure habetur expressa. & cap. 1. de apostatis. quod apostatis à Clericatu præter alias penas admittit privilegium Canonis, est stricte interpretandum, neque in odiosis sub nomine Clerici, de quibus ille capitulum loquitur, veniunt Religiosi, uti habet Abbas in *c. 1. Ne Clerici, vel Mon.* Insuper privilegium fori & Canonis competit Regularibus Professis ratione Professionis religiosæ, quæ ipsi inseparabiliter adheret, neque pro lubitu excuti potest.

§. II.

A quibus, & quâ actione incurratur censura excommunicationis in suis la per c. si quis?

7. Quæres primò. Quinam intelligantur in Canone per particulam *si quis*?

Respondeo. intelligi quemcumque percussorem utriusque sexus, doli & censurae capacem. Quò pertinent etiam mandantes, consulentes, consentientes, ratum habentes & non impediētes, si tenebantur ex officio impedire. Suarez disp. 22. de Censur. sect. 1. Sayr. l. 3. c. 26. Castrop. disp. 3. p. 23. §. 2. nam ut habetur in *c. quantæ, 47. de sent. excomm.* agentes & consentientes pari poenâ puniuntur, estque Canon iste favorabilis pro honore statûs Ecclesiastici.

8. Inferes primò. Si mandans aut consulens percussorem serio revocaverint, & notificaverint revocationem mandatario, non incurtere excommunicationem, quantumvis sequatur percussio, non enim amplius influunt moraliter in percussorem, ut docent DD. communiter,

Inferes secundò. Qui Clericum consentientem percudit, incurtere excommunicationem, quia Clericus suo consensu non potuit cedere & derogare favori statûs Ecclesiastici, ac dignitati Ordinis, quem Canon principaliter respicit. Suar. Castrop. cum communi. estque clarè decisum in *c. contingit; 36. de sent. excom.*

Quæres secundò. Qualis requiratur actio, ut incurratur poena Canonis?

Respondeo primò. Requiritur actio in genere injuriæ mortaliter peccaminosa, & corporaliter afflictiva. Dixi mortaliter peccaminosa; nam censura excommunicationis supponit culpam mortalem in genere sacrilegii, eaque indicatur per verba: *Suadente diabolo, & violenta manuum injectio.* Dixi secundò, corporaliter afflictiva; nam per manuum injectionem significatur externa læsio corporalis, sive immediata, puta manibus, dentibus, pedibus &c. sive mediata, h. e. mediante aliquo instrumento, scilicet, baculo, ense, scabello &c. sive in ipso corpore, sive in adjacentibus, puta vestibus, equo &c. proximè recepta, non enim ista læsio vel afflictio requirit percussorem, aut physicum contactum corporis, dummodo sit injuriosa corporalis afflictio, quæ etiam contingit, si Clericus aut Religiosus arreptâ veste violenter expellatur, aut trahatur ad aliquem locum, si violenter vestibus exuatur, si in custodia teneatur, si violentâ persecutione adactus in foveam vel fluvium incidat, &c. hæc omnia quippe continentur in violenta manuum injectione. P. Engel loc. cit. n. 135. & DD. in *c. nuper, 29. de sent. excom.*

Inferes primò. Si percussor Clericum animò graviter eum lædendi valde levem externam percussorem inferat, non incurtere excommunicationem: quia utique etiam in hac materia datur paritas materia: & excommunicatio tanquam gravis poena supponit, actionem exteriorem esse mortaliter peccaminosam, non præcisè ratione actûs interni & prævæ voluntatis, sed etiam ratione actûs externi, pro quo fertur, non enim Ecclesia judicat de occultis. Ita Suar. disp. 22. sc. 1. Sanch. l. 2. c. 8. n. 7. Sayr. l. 3. c. 27. n. 33. Bordonus cap. 21. n. 149.

Inferes secundò. Qui pulverem, aquam, alia, vel levia spargit in Clericum, qui lædit equum, cui insidet, præcidit habenas &c. incurtere excommunicationem: nam est per similes actiones non graviter lædatur in corpore, gravem tamen patitur violentiam & injuriam circa suam personam, quam ad incurrendam poenam Canonis sufficere constat ex *c. nuper* præcitato ibi: *quamvis per eorum factum corporalis læsio non fuerit subsecuta, circa quam violentia sæpius circa Clericos perpetratur.*

Quæres tertio. Quanam causæ excusent ab inj. incurfu censurae?

Respondeo. Excusantur primò percussores Clerici sese enormitatibus immiscens *c. cum non ab homine 14. de sent. excomm.* quò pertinet si quis violentas manus injiciat in Clericum cum matre, sorore, aut filia turpiter deprehensum. Engel. n. 126. Secundò excusatur calus, error, & ignorantia: ut si quid incurrit domo ejectum incidat in Clericum; si percussor Clericum, invincibiliter existi-

existimans esse Laicum; utrobique enim deest voluntarium, sine quo gravis & formalis injuria non subsistit. Sed quid si percussus Cajum Clericum, existimans te percutere Titium Clericum? erisne liber à censura, siquidem ista percussio respectu Titii nulla est, & respectu Caji non est voluntaria. Respondeo. Si casu facta est illa percussio, ut si lapide in Titium misso aberrans, fortuito percussus Cajum, nulla est excommunicatio; siquidem iste effectus planè præ intentionem sequitur: Si verò sciens Cajum esse Clericum, illum percussus, non evadis censuram, tametsi existimaveris esse Titium: quia tunc error non cadit super circumstantiam & statum Clericalem, sed solummodo circa individuales conditiones Caji: excommunicatio verò lata est super percussores Clerici, non circa percussores Titii, vel Caji ut sic, quò facit textus in l. eum, qui no-
dem, §. si injuria; ff. de injuriis, ubi l. C. dicit: si injuria mihi fiat ab eo, cui sum ignotus, aut si quis putet me esse Laicum, cum sum Cajus, prævalet quòd principale est, injuriam mihi facere velle, & ideo injuriarum habeo actionem.

Tertiò, excusatur Magister, vel Præceptor disciplina causa moderate castigans discipulum Clericum, cap. 1. ex tenore, 10. c. cum voluntate §. 4. de sent. excomm. quòd intelligendum de Clerico in Minoribus constituto. Quartò Prælatus Ecclesiasticus correctionis causa & ratione officii ac jurisdictionis Clericum, vel Monachum corporali castigatione juxta culpæ gravitatem afficiens, sive per se, sive per aliam personam Clericalem d. c. ex tenore, & c. Quintò excusatur ebrietas, quæ aufert sufficientem usum rationis. nisi quis eo sine se inebriasset, ut tantò animosus in Clericum insurgeret. P. Engel cit. n. 142. Sextò excusatur defensus vita, honoris, pudicitia, bonorum, servato tamen moderamine inculpatae tutelæ. ex c. si verò, 3. cit. c. ex tenore 10. de sent. excomm. tunc enim percussio non fit suadente diabolo, sed ex permisso juris naturalis, quo cuiusvis licet vim vi repellere. Suar. disp. 22. sect. 1. Castrop. disp. 3. de Cens. p. 23. §. 3.

§. III.

De absolutione à censura Canonis.

14. **N**otandum. Percussionem Clerici, quæ Canonis censura incurritur, esse in triplici differèntia: est levis percussio, gravis seu mediocris, & enormis. Levis dicitur non absolute, quia supponitur esse mortaliter peccaminosa, alioquin non esset capax excommunicationis, sed comparatione cæterarum. Enormis describitur in c. cum illorum 32. de sent. excomm. his verbis: *Enormis, utpote si ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis [intellige ex vulnere insillito] est processum, aut in Episcopum, aut Abbatem violentas manus injectas, cum excessus tales & similes nequeant sine scandalo præteriri.* Gravis seu mediocris est, quæ de utraque aliquid participat, e. g. si copia capillorum evellatur, si colaphò dens frangatur, & c. Erit igitur levis percussio, si simplici Clerico alapam impingas, si verò illa sit tanta, ut exinde nares multum sanguinis effundant, vel vultus tumorem & livorem contrahat, dens excutiat & c. erit percussio gravis; si per-

cussus velut exanimis concidat, aut periculum vite incurrat, erit enormis: Imò sola etiam personæ percussæ circumstantia potest levem percussionem vertere in enormem, e. g. si quis suo Superiori, Prælato, Episcopo, alapam infligeret, eumve capillis traheret. Porro in dubio, sine levis, gravis, an enormis percussio, determinatio pertinet ad Episcopum, qui consideratis personæ lætæ, temporis & loci circumstantiis judicabit, an à tali percussione possit absolvere: & in dubio positum declarabit, percussionem non esse, quàm esse enormem: quia in obscuris minimum est sequendum per Reg. 30. in 6 l. semper 9. ff. de R. l. in dubio quoque magis favendum est reo, quam actori, Reg. 11. in 6. Prælatus quoque in dubio non debet spoliare suo jure, cum in dubiis melior sit conditio possidentis suam jurisdictionem. Ita Bordonus c. 21. n. 270. Layman l. 1. tract. 1. c. 5. §. 4. contra Suarez & Castrop. His prenotatis

Quæres primò. Quis possit percussorem à censura excommunicationis absolvere?

Respondeo primò. Præter Summum Pontificem potest absolvere omnes undecunque advenientes, etiam si percussio sit enormis; Legatus à Latere à die discessus, usque ad diem sui reditus, c. ad eminentiam; 20. & c. quamvis 58. de sent. excomm. Nuncios verò Apostolicos, sive Legatos missos, tantum potest absolvere ab excommunicatione etiam ex enormi percussione contracta subditos existentem in provincia suæ Legationis; c. excommunicationis 9. de offic. Legati. Legatus verò Natus Circi abolitionem plus non possunt, quàm alii Ordinarii, nisi speciale privilegium à Summo Pontifice obtineant. P. Engel cit. n. 143.

Respondeo secundò. Episcopus absolvit ab excommunicatione [1] quandocunque percussio est levis; c. pervenit. 17. de sent. excomm. [2] quandocunque adeit rationabile impedimentum accedendi Summo Pontifici, vel Legatum ipsius, quòd impedimentum vel est perpetuum, vel temporale. Si perpetuum, percussio simpliciter absolvitur ab Episcopo, præsertim cautione, de satisfaciendo mandatis Ecclesie, & parisiensis; si est impedimentum temporale, inloper requiritur cautio, ut absolutus, cessante impedimento, sedi Apostolicæ se præsentare velit, quòd si negligat, ipso jure reincidit in censuram. c. de cætero 11. c. quamvis; 58. de sent. excomm. [3] quandocunque percussio est occulta, tametsi fuerit enormis, Episcopus potest absolvere subditos, ex Tridentino sess. 24. c. 6. [4] Episcopus potest absolvere mulieres, vel Moniales; c. mulieres 6. c. de monialibus; 33. eod. [5] si percussor sit impubes, tametsi post pubertatem petat absolvi, c. illi eod. n. [6] Si Clerici in commune viventes se invicem percusserint; c. quoniam 9. de vit. & hinc Cler. [7] Religiosum, qui Clericum secularium non enormiter percusserit; c. Religiosus 21. de sent. excomm. in 6. [8] Viros magnæ potentia postquam eorum status Summ. Pontif. intimatus fuerit, cap. mulieres; 6. eod.

Respondeo tertiò. Regulares se invicem percipientes, vel qui ante Religionis ingressum censuram canonis incurrerunt, absolvuntur à Prælato sui Ordinis, vel Monasterii, nisi excessus sit enormis, ut si in Episcopum, vel Abbatem vio-

lenta manus fuisset injecta, quo casu absolutio Summo Pontif. est reservata; c. cum illorum; 2. c. Canonica, 50. eod. Habent nihilominus Regularium Prælati & Superiores extra jus commune specialia privilegia, per quæ etiam ab enormi percussione sive Religiosi, sive Clerici suos Religiosos possunt absolvere, de quo multa Bordonus de privileg. Cler. c. 21. à n. 327.

18. Quæres secundò. A quo sit absolvendus Religiosus percussor, quando percussus subest alteri Superiori? Videtur dicendum, quòd absolutio

fit danda per utriusque Religiosi Prælatum. ex c. cum illorum 32. de sent. excomm. ubi dicitur: *Per Abbatem proprium, & ejus, qui passus est injuriam, absolvatur*: quæ tamen ita esse intelligenda docet Molina de l. & Just. tr. 3. disp. 60. n. 5, ut absolutio à censura detur à Superiore percipientis, utpote giudice ordinario, supposito tamen consensu & præmissa satisfactione Prælati alterius, qui est Superior Religiosi percussi, & injuriati; cum ipse sit actor, & jus habeat persequendi injuriam suo Religioso illatam.

ARTICULUS V.

De privilegiis Religiosorum.

S U M M A R I A.

1. Religiosa Professio tollit omnia peccata quoad culpam & penam.
2. Testimonia SS. PP. & DD. de Religiosa Professione præstantia.
3. In susceptione habitus Religiosi datur plenaria Indulgentia.
4. Etiam in renovatione votorum acquiri potest Indulgentia plenaria.
5. S. Professio extinguit alia vota.
6. Purgat maculas legales, & irregularitatem ad
7. Ordines suscipiendos.
8. Probabiliter extenditur ad susceptionem habitus.
9. Dissolvit matrimonium rarum.
10. Absolvit à parva potestate.
11. Facit participes omnium causarum piarum.
12. Limitationes pro communicatione privilegiorum.
13. An totus Ordo Benedictinus in privilegiis communicet cum aliis Congregationibus & Monasteriis?
14. Communicatio Benedictinorum in privilegiis est in jure fundata.
15. Privilegia corpori juris inserta, iisq. æquiparata, admittunt extensionem ob identitatem vel paritatem rationis.
16. Exempla præcedentis doctrina ex Jure.
17. Argumentum à paritate PP. Capucinatorum.
18. Probabilitas extrinseca nostræ doctrinae ab auctoritate DD.
19. Ratio reflexa & indirecta communicationis.
20. Ordo S. Benedicti indirectè communicat omnia privilegia Mendicantium.

§. I.

Privilegia & favores communes statui Religioso.

Personæ Religiosæ, tanquam selectior pars Christiani gregis, flos Ecclesiastici germinis, singulare decus & ornamentum S. Ecclesiæ, in quibus Evangelicæ perfectionis norma resplendet, à quibus Apostolicæ prædicationis gratiam & S. fidei veritatem innumeræ gentes acceperunt, semper dignè videbantur Summis Pontificibus, ut ipsas diversis favoribus, gratiis ac privilegiis decorarent: quæ quidem lingillatim prosequi non est propositum; ne tamen filialis erga Ma-

trem Religionem observantiæ immemor videat, aut ingratitude labem incurram, pauca in communi, & certiora delibò.

Præter Canonis & fori, aliisque Clericorum privilegia etiam Regularibus competentia, de quibus in præcedentibus dictum. Primò non tam privilegium, quam gratia toti statui Religioso communis & propria est, quòd per Religiosam Professionem seu emissionem votorum conferatur instar Jubilæi perfectissima remissio omnium peccatorum, tam quoad culpam, quam quoad penam: quæ quidem Indulgentia tametsi fuerit à Sum. Pont. Paulo V. concessa, tamen etiam independentè ab illa concessione est ex natura rei annexa ipsius professionis dignitati, quippe in qua homo omnia sua, suamque voluntatem, quæ nihil habetur præstantius, DEO offert. Ita docent D. Th. 2. 2. q. ult. a. 7. ad 3. [Th. Waldens. de Sac. tit. 9. c. 30. Hieron. Platùs de bono stat. Rel. l. 1. c. 15. Layman l. 5. c. 10. Azor, Barthol. à S. Fausto, Gregorius Geisler, alique.

In quorum probationem facit primò, quòd in authent. de Monachis Imperator affirmat, quòd vitæ Monasticæ ingressus omnem criminum maculam abstergat. Secundò, quòd SS. PP. & Doctores tam Ascetici, quam Scholastici Professionem Religiosam alterum *Baptismum* appellent. Sic loquuntur S. Hieron. ep. 25. Petrus Dam. op. 16. c. 8. S. Bern. in Serm. de S. Bened. S. Anselmus c. final. de similit. D. Jo. Damasc. in histori. S. Jolaphat. c. 12. *Etenim divinam hanc professionem peccatorum propulsare, atque incorruptionis per divinum Baptismum nobis concessa sociam & opitulatricem esse perspectum habemus.* D. Antonin. in Sum. 3. p. tit. 16. c. 3. §. 3. D. Th. lo. cit. Bellarminus, Sanchez, Rodriguez, Hæftenus, alique. Tertiò ex authenticis Patrum historiis, nominatim apud Rosweydam l. 1. n. 9. ubi quidam vir sanctus dixit: *Virtutem, quam vidi stare super Baptisma, vidi etiam super vestimentum Monachi, quando accepit habitum spiritualem.* Quartò ex ratione Angelici Doctores in 4. dist. 4. q. 3. a. 3. sic proposita: *Cum proficiens voluntatem suam ceteris rebus chariorem in perpetuam DEI servituti redigat, jam plenissime pro omnibus anteactæ vitæ delictis satisfecisse censetur: ut potè qui id dat, quo nihil majus dare poterat.*

Plenaria hæc peccatorum remissio per Indulgentiam

gentiam Pauli V. etiam concessa est tironibus S. Religionis in prima Religiosi habitus susceptione, ut est videre apud Gobat, Bonagrata aliosque: qua de causa Tirones laudabili consuetudine per præviam generalem exomologesin ad hanc Indulgentiam lucranda disponi solent.

4. Insuper ad magnum solatium Religiosorum D. Bernardinus Sen. in Quadrag. tr. 2. ser. 24. a. 1. affirmat, toties prædictam Indulgentiam renovari, quoties seriâ voluntate renovatur sacra Professio. Ejus verba sunt: *Hæc libertas non solum datur in illa hora, quâ ipsum votum emittitur, sed etiam in omni tempore, quo sibi vovisse placet, & in quo cum hac complacentiâ votum implet.* Ad stipulantur Carthus. in opusc. de profess. mon. Hyac. Casal. in cens. Christ. in monit. ad Relig. n. 4. & probabile agnoscit Laym loc. cit. Multæ sunt præterea Indulgentiæ plenariæ quas Religiosi consequuntur, modò in primo sacro, quod Neomystra offerunt, modò in articulo mortis, modò in principalibus festis sui S. Ordinis, modò in sacra exercitiorum solitudine. Illas studiose collegit in fasciculo SS. deliciarum R. P. Antonius Maria de Rheita Capuc. & speciatim pro Benedictinorum usu P. Georgius Geisler in privilegijs Ord. S. Benedicti. Notabilis est illa & plena solatii, quâ post suam generalem renovationem Indulgentiarum quoad Religiosos Paulus V. denuo concessit, ut quilibet approbata Religiosis Professus & Professa Regularis in clausura vivens, & propriam suam Ecclesiam visitans, ibidemque dicendo in diebus stationum 6. *Pater & Ave,* & in fine ad quodlibet, *Gloria Patri* [ut Urbanus VIII. declaravit] devotè ad Pontificis intentionem, S. Matris Ecclesiæ exaltationem, &c. orans, lucrari possit omnes Indulgentias stationum urbis, & orbis, ac si præsens Romæ, & alibi visitaret, &c. Rheita prædictus in fine præfat.

5. Alterum status Religiosi privilegium est, quòd per S. professionem aliorum præcedentium votorum obligatio velut absorpta tollatur, non quòd commutata, sed quòd per suimetipsum totalem oblationem, quâ homo simul & semel facit, quantum successivâ votorum impletione facere non potuisset, impleta censeatur, ut communiter docent DD. in c. scriptura, de vot. & c. qui post votum; de regul. in 6. & præter D. Antonin. & Palud. citatos à Sylvest. V. votum. 4. n. 7. tradit noster S. Anselmus l. 3. ep. 13. ad Richard. Mon. sollicitum de adimpletione alicujus voti ante monachalem professionem emissi post plura præmissa, scribens: *certus enim esse debes, quia cum te totum DEO devovisti, & reddidisti per Professionem monachicam, solvisti omnia vota minora quantumlibet ætionum, quæ prius sine iurejurando, & fidei obligatione promissisti.* Rursus ep. 154. ad Wilhelm. Abbat. *De voto Monachi, de quo nostrum vultis audire consilium, qui antequam ad nostrum Ordinem veniret, vovit, se nunquam amplius vinum bibiturum, hoc videtur mihi faciendum, quòd sic à majoribus nostri Ordinis, & præcipue apud Cluniacum. Ut videl. ejusmodi vota, quæ fiunt sine promissione fidei, & sacramento, in voto Monachici Ordinis, in quo homo, quidquid ad se pertinet & se totum DEO offert, judicentur esse completa.*

Tertium privilegium status Religiosi est, quòd & purget maculas legales, ortas ex actibus civilibus, per auct. de Mon. coll. 1. & Gloss. ca. 2. de App. Sic primò damnatus crimine furti, perjurii, falsi &c. si Religionem professus fuerit, absolvitur ab infamia, recipi potest in testem, aliosque adus civiles. Secundò, Ingressus Religionem purgatur à macula ingratiitudinis, ut ratione ipsius nequeat exheredari, ut communiter docent Canonistæ in c. quantumlibet dist. 46. c. non licet; 19. q. 3. ubi Gratianus refert verba Justiniani, quibus hoc privilegium concessit, cujus veritatem contra quosdam impugnatores solidè probat P. Engel de privil. & Jurib. Monast. privil. 13.

Sed etiamne status Religiosus purgat maculas Canonicas, nempe irregularitates? Etiam illas per S. Professionem univèrsim tolli cenet Soc. in 4. d. 25. q. 1. a. 3. exceptâ illâ, quæ provenit ex bigamia, vel homicidio. Sed dicendum est cum P. Engel loc. cit. priv. 4. Illam irregularitatem tolli, quæ oritur ex defectu natalium in ordine suscipiendos SS. Ordines tantum, ita ut illegitimi, quibus alioquin vetica erat suscepio SS. Ordinum toto t. de filiis presb. non ord. tamen ex 2. eod. iii. Monasterium ingressi habilitentur ad sacros Ordines suscipiendos, eorumque vltimus non tamen ad prælaturas, administrationes, & beneficia curata, ut præter cit. Engel tradunt Tambur. de J. Abb. to. 1. disp. 5. q. 14. n. 3. Azor. 1. p. in s. l. 12. c. 5. q. 12. Layman, aliique. Ratio est quia irregularitates, quæ solum continentur intra sphaeram Juris Canonici, sicut non inducuntur nisi constitutione Canonum, ita non sine illorum autoritate tolluntur: atqui Jure Canonico non significatur tolli alia irregularitas nisi quæ oritur ex defectu natalium, neque per alium respectum nisi ad susceptionem SS. Ordinum: ergo hoc locum modò & respectu in Professis irregularitas tollitur.

Nihilominus prædictam ablationem irregularitatis, à Religiosa professione, etiam ad habitus susceptionem probabiliter extendit, quævis nec pauci DD. stent in oppositum. Sanchez in præcept. Decal. to. 2. l. 5. c. 5. n. 14. ita, ut professio etiam non secutâ, irregularitas tamen ablata censeatur, eò quòd in favorabilibus nomine Monachi vel Religiosi veniant etiam Novitii, neque ipsa expresse requirant Professionem.

Quartò. Professio Religiosa dissolvit matrimonium ratum quoad vinculum, c. 2. de convers. conjug. Trident. sess. 24. can. 6. sed quoniam alibi privilegio Divino, an humano? sunt, qui cum Paludano & Covarruvia existimant, dissolvi ex natura Professionis, eò quòd ista sit quædam mixta civilis & spiritualis. Privilegio Ecclesiastico & Pontificio adscribunt Lessius, l. 2. de Just. n. 41. Meub. 8. Coninck de marrim. d. 26. dub. 3. Medina, Engel, aliique. Præplacent qui Juri Divino diremptionem matrimonii rati per religionem Professionem tribuunt: ita quippe observant fuit ab initio nascentis Ecclesiæ, quòd infallibile signum est, quòd Apostoli hunc sanctioris & Religiosæ vitæ favorem ab ipsius Christi ore accepissent, idque indicat Alex. III. in c. ex publico, de convers. conjug. dicens, *istud deduci ex interpretatione sacri eloquii.* Atque ita docent Soranus

disp. 27. q. 1. a. 4. Sanch. l. 7. d. 26. n. 4. Salmantic. to. 4. tr. 4. disp. 1. d. 5. s. 2. n. 70. sed de hoc ex instituto in Tract. de Matrim.

10 Quintò status Religiosus absolvit Professum à patria potestate. *auth. ingressi. & auth. si qua mulier. C. de SS. Ecclesi. & glossa ibid.* quod tamen intelligendum esse quoad effectus patrie potestatis Monasterio & Religioni onerosos, non quoad favorabiles, optime monet P. Engel *privil. 12.*

11 Tandem amplissimum privilegium Religiosorum est, quòd gaudeant privilegiis & participatione omnium piarum causarum sicut, minorennium, nobilium, militum dummodo casus sint Religiosus & Monasteriis applicabiles, prout latè deducit Clarif. P. Engel loc. cit. & Virg. Aluifet *sect. 2. De communicatione privilegiorum*, quà gaudent Religiosi, vid. quæ dixi *Disp. 37. a. 4. §. 11.*

Dubium de privilegiis S. ordinis Benedictini resolvitur.

Quæres primò. An totus Ordo S. Benedicti gaudeat communicatione privilegiorum, aliis Monasteriis, aut integris Congregationibus, putà Cassinensi, Vallisolerana, S. Mauri, &c. concessorum?

12 Respondeo juxta limitationem præced. disp. 37. a. 4. propositam, distinguendum esse inter gratias & privilegia: nam vel sunt onerosa, & cedentia in gravamen tertii, ut exemptio à jurisdictione, quæ non communicantur, nisi exprimentur, quia sunt strictæ interpretationis, nec præsumitur Princeps velle alterius juri quæsito derogare, nisi exprimat. Vel secundò habent pro suo motivò specialem prærogativam loco, Monasterio, Congregationi propriam. Vel tertio restringuntur per clausulas speciales, & exclusivas aliorum locorum, ut sunt multa privilegia Abbati & Monasterio Cassinensi ob prærogativam primatus in toto S. Ordine concessa eaque utpote cocalia non solum à toto ordine, sed nec ab ipsa Congregatione Cassinensi participantur: Vel quarto sunt gratiæ exorbitantes, quæ rarò & difficulter, aut non nisi prævio examine & Decreto S. Congregationis alicui Monasterio, vel Congregationi conceduntur, & necesse communicantur, cum sapiant naturam singularium gratiarum, juxta Tamb. de J. Abb. to. 1. d. 17. q. 2. Lezanam to. 3. V. Missa, n. 21.

13 Vel quintò motivum privilegii est universale, nempe merita, & dignitas S. Ordinis, & tunc valde probabiliter totus S. Ordo Benedictinus in privilegiis civi: alteri Congregationi, aut Monasterio indultis nemini onerosis communicat. Sequitur ex dictis præcit. disp. 37. a. 4. n. 12. & 13. & ulterius Probatur rationibus directis primò. Non est præsumendum, quòd Sum. Pontif. voluerit in communicationem privilegiorum variis Congregationibus & Monasteriis Ord. S. Benedicti concessorum admittere extraneos & alienos Ordines, exclusis domesticis & membris ejusdem S. Ordinis de universa Ecclesia tot sæculis meritissimi: atqui Sum. Pontif. varios extraneos Ordines admisit in communicationem privi-

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

legiorum Congregationibus Benedictinis concessorum: ergo præsumi non potest, quòd voluerit Benedictinos ipsos ab eorum participatione excludere. Major probatur, quia exclusus domesticis alienos admittere in participationem favorum, non habità ratione innumerorum meritum, pugnante infuperationis non tantum identitate sed etiam majoritate, alienum est à justitiæ distributiæ æquitate non minus, quàm à paternæ pietatis liberalitate; quod de Sum. Pontifice clementissimo ovium Pastore præsumi nequaquam potest, ideo in interpretatione privilegiorum non nuda ipsius verba, sed vel maxime mens ex adductis motivis debet inspicere: unde sapienter Philosophus à Lessio citatus, æquitatem, ait, esse *quandam justitiam, & justitià legali meliorem.* Et revera: *longè major est Officiorum, quàm juris regula.* Mentem porò Summ. Pontif. luculenter expressit Sixtus IV. in mari magno Augustinianorum dicens: *Conveniebat, ut, quos par labor, & paria merita conjungunt, paria conjungerent privilegia & favores.* Minorem ex Summ. Pontif. Bullis ostendunt Rodrig. qq. regul. to. 1. q. 55. a. 8. Miranda to. 2. q. 46. a. 5. Tambur. Pellizar. aliique citati à Salmantic. to. 4. tr. 13. de privil. c. 1. p. 7. n. 90.

Probatur secundò. Extensio privilegiorum per communicationem ab una Congregatione vel Monasterio ad totum Ordinem S. Benedicti sub præmissa limitatione est in jure fundata: ergo non est deneganda toti S. Ordini. Antecedens probatur primò. Privilegia faventia Religioni & causæ piæ, recipiunt amplam interpretationem ex juris dispositione; cum beneficium Principis sit latissimè interpretandum l. 3. ff. de *constit. Princ.* & cum communi DD. docet P. Engel in Coll. Jur. Can. Tit. 4. S. 1. n. 4. Sed privilegia Religiosis concessa, quæ nemini sunt onerosa, sunt talia: ergo admittunt amplam & latissimam interpretationem: ergo pariter interpretatio, quæ DD. privilegia uni Congregationi & loco concessa judicant esse extendenda, est conformis dispositioni Juris.

Nec refert, quòd juxta sup. dicta, privilegium ordinariè ob paritatem & identitatem rationis non extendatur à persona ad personam, à loco ad locum, &c. nam id obtinet quidem in privilegiis, quæ sunt extra Corpus Juris, ea quippe (inquit Engel loc. cit.) *plerumque sunt temporalia, & strictè interpretationis, nec extenduntur ultra personas, quibus concessa sunt: privilegia verò clausa in Corpore Juris ordinariè sunt perpetua, & recipiunt interpretationem, ac aliquando ex paritate rationis extensionem, sicut ipsa eges communes, unde nostra resolutio*

Probatur tertio. Privilegia Corpori Juris inserta iisve in jure æquiparata admittunt extensionem, prout cum communi docent *Suar. de leg. l. 8. c. 27. n. 7. & Havnoldus de Jur. & Just. to. 1. tr. 1. de Leg. c. 4. n. 20.* sed privilegia Religiosorum æquiparantur privilegiis Corpori Juris insertis, ut iidem Authores docent: ergo admittunt extensionem ex identitate vel paritate rationis,

A a a

Proba-

- 16 Probatur quartò. *A privilegio uni cause pia concessa, rectè potest deduci argumentum ad aliam similem causam ex communi DD* inquit cit. P. Engel: sed quis negaverit, privilegia Religiosorum esse concessa in favorem causæ piæ: ergo rectè deducitur ab iis argumentum ad similem, imò non ad similem causam, sed ad membra & partes ejusdem Religionis sub una S. Regula & Institute intimâ unione moraliter connexas, militantibus iisdem motivis & rationibus. Major variis exemplis roboratur. 1. Privilegia maritis concessa, communicantur uxoribus, quia conjuges constituunt unum morale compositum œconomicum: cur ergo non etiam privilegia concessa Congregationibus, sint communicata cæteris Monasteriis, quæ sub una S. Regula unâ cum illis unum S. Ordinis Corp⁹ constituunt. 2. Summi Pontif. privilegio istarum Congregationum, imò & cæterorum Ordinum, ad remunerationem meritorum, conservationem pacis & conformitatis, voluerunt esse communicata Mendicantibus, qui non sunt membra ejusdem Ordinis, cur ergo non Monasteriis, quæ sunt membra ejusdem Ordinis? cùm istud æquè conducatur ad promotionem cultûs Divini remunerationem meritorum, conformitatem, &c. 3. Leo X. in Bullâ, *Dudum per nos accepta*, datâ 19. Dec. an. 1519. apud Lud. Mirandum in Man. Præl. to. 1. q. 21. omnia privilegia cuicunque Ordini mendicantium, vel domui ejusdem Ordinis concessa, omnibus & singulis ejusdem Conventibus, Domibus, Ecclesiis, personis &c. juxta cujuslibet capacitatem voluit esse communicata; cur ergo non Benedictinis quoque Monasteriis sint communicata privilegia, quæ ipsorum Congregationibus, aut quibusdam Monasteriis ex communi titulo & causa concessa inveniuntur? 4. Privilegia concessa studiosis Theologiæ, extenduntur ad studiosos SS. Canonum ut habet Burgos in c. *Canonum. de constit.* 5. Privilegia concessa Ecclesiis, extenduntur ad Hospitalia. 6. Concessa pupillis ad minores. 7. Concessa nuptis, ad Virgines Christo nuptas, cò quòd istud sit matrimonium spirituale. 8. Concessa militibus, ad Clericos & Doctores. 9. Concessa Clericis, Nobilibus, militibus ad Regulares, Viris Regularibus ad Moniales ejusdem Ordinis, &c. ergo multò magis concessa certis Congregationibus & Monasteriis Benedictinis ad omnes Benedictinos: cùm utique major sit connexio inter Benedictinum & Benedictinum, quàm inter Ecclesiam & Hospitale, uxorem & filium, militem & Clericum, &c. prout latè & doctè expendit Georgius Geisser in lib. de Privilegiis Benedict. q. 1. n. 27.
- 17 Confirmatur: RR. PP. Capuccini teste P. Bonagrata participant omnia privilegia aliorum Ordinum S. Francisci, quia vivunt sub eadem Regula & Fundatore, quantumvis sint Superioribus & privatis constitutionibus divisi: ergo &

Benedictini participant privilegia Benedictinarum Congregationum ob unitatem S. Regule & Fundatoris.

Probatur etiam nostra responsio ratione indi. 18 rectâ, & reflexâ. Illis privilegiis gaudet, & bonâ conscientia utitur, fruiturq; S. Ordo Benedictinus, quæ ipsi à gravissimis Doctõribus in publicis voluminibus, Legislatore non contradicente asseruntur: sed toti Ordini Benedictino per communicationem asseruntur à gravissimis DD. privilegia alicui Congregationi, aut Monasterio concessa sub præmissis limitationibus: ergo iisdem privilegiis totus Ordo gaudet. Minor constat: sic enim è diversis Ordinibus sentiunt & docent Emanuel, & Hieron. Rodrig. Jo. de la Cruz in Comp. pract. l. 2. c. 4. Anton. Diana tract. 2. dub. Regul. resol. 81. Marchin. de sac. Ord. tract. 1. part. 7. c. 2. & 7. Bonagrata in Summula qq. regul. V. privilegium. n. 402. Franciscus Bonæ spei to 3. Commentar. 11. 3. deleg. disp. dub. 4. n. 37. Tambur. de J. Abb. to. 1. disp. 37. q. 2. & disp. 25. q. 9. Ang. Manriquez cit. à Caramuele in Theol. Reg. disp. 131. a. 1. Miranda ro. 1. Manual. q. 46. a. 7. Balizustin flor. Theol. V. Privilegium. Salmantic. to. 4. Moral. 11. 18. c. 1. puncto. 7. §. 1.

Præterea: Juxta Authores modò allegatos. 19 omnes non mendicantes, ad eòque & Benedictini gaudent per communicationem privilegiis omnium mendicantium Religionum: sed mendicantes gaudent communicatione omnium privilegiorum cuicunque suorum Conventuum & Domuum concessorum, juxta prælegatam Bullam Leonis X. ergo etiam Benedictini gaudent ejusmodi communicatione.

Infero ex dictis: Totum Ordinem S. Benedictini communicare saltem indirectè privilegia omnium Ordinum mendicantium: nam totus Ordo S. Benedictini communicat directè privilegia particularibus Congregationibus concessa; sed inter privilegia Cassinensibus, Vallisoletanis, & recentior ab Urbano VIII. Congregationi S. Mauri in Gallia concessa per Bullam in *supereminenti* continetur communicatio omnium proliis privilegiorum, quæcunque fuerunt ulli Regulari Ordini concessa. Ipsas porrò Bullas SS. Pontificum authenticè relatas videre est apud Cornel. Margarin. in Bullario Cassinensi, Rodriguezium, Cherubinum, & Augustinum à V. M. Carmelitam. Cæterum, quænam privilegia in specie comperant tum Regularibus in communi, tum Benedictinis in specie, videri possunt, qui de illis fusè & ex infinito scripserunt, Salmanticenses, Rodriguez, Virgilius Aluister, Augustinus à V. Maria, Georgius Geisser de privilegiis Ord. S. Benedictini, P. Ylo Pfavy in Summario privilegiorum, &c.